



Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

343. Christus copiam illis facit ingentem vim piscium capiendi.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

CHRISTI REDIVIUI. 315
MEDITATIO CCCXLII.

*Christus apparet discipulis
piscantibus.*

I. **P**OSTEA manifestavit se iterum IESUS discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic: Erant simul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus; & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ; & filij Zebedæi, & alij ex discipulis ejus duo. *Ioan. 21. v. 1. 2.*

II. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt in navim: & illâ nocte nihil prendiderunt. *Ioan. 21. v. 3.*

III. Mane autem facto, stetit IESUS in litore: non tamen cognoverunt discipuli, quia IESUS est. *Ioan. 21. v. 4.*

MEDITATIO CCCXLIII.

*Christus copiam illis facit ingentem vim
piscium capiendi.*

I. **D**IXIT ergo eis IESUS: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. *Ioan. 21. v. 5.*

II. Dicit eis: Mittite in dexteram navigij rete, & inveniatis. *Ioan. 21. v. 6.*

III. Miserunt ergo : & jam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. *Ioan. 21. Vers. 6.*

MEDITATIO CCCXLIV.

Christus in captura piscium agnoscitur.

I. **D**ixit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro : Dominus est. *Ioan. 21. Vers. 7.*

II. Simon Petrus cum audisset, quia Dominus est, tunicam succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. *Ioan. 21. Vers. 7.*

III. Alij autem discipuli navigio venerunt (non enim longè erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. *Ioan. 21. Vers. 8.*

MEDITATIO CCCXLV.

Christus cibum parat, & inter discipulos distribuit.

UT ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, & piscem superpositum, & panem. Dicit eis Iesus : Afferete de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piscibus, centum quinque